

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538943

CV. Quaestio Medico-Chirurgica.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16605

C V.

Q U Æ S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A,

Quam Præside

M. J A C O B O T R A N T,

Tuebatur

H E N R. F R A N C. B O U R D E L I N;

Sub hac verborum ferie,

*An ad extrahendum e vesica calculum diversa pro re
nata debeat usurpari Chirurgia?*

Parisius die 20 Aprilis anno 1734.

K k 2



C.V.

Q U A E S T I O
M E D I C O - C H I R U R G I C A

Quaestio

M. JACOBUS TRANT

Trant

HERR FRANG BOURDELIN

Sancti Victoris

Ad ad extirpandum e regione colli hinc dicitur pro re
in re dicitur quodammodo

Paris die 20 Aprilis anno 1734

1734



I.

Chirurgia, tertium medici armamentarium, unde promit opportunum curandis morbis præsidium. Ut autem in ægri salutem vertatur chirurgi manus, quot & quanta prospicienda sint, atque præcavenda, norunt illi, qui scolorum temeritatem cum peritorum artificum iudicio conferunt, & facile dijudicant genuinos hos, spurios illos haberi debere chirurgos atque appellari. Illud imprimis observandum, quod, si secandi sese necessitas obtulerit, probe explorandum sit prius, quam in parte, imo quanam in ejusdem partis loco secari expediat, quam ad opus se chirurgus accingat. Sic in apostematibus non modo partis affectæ, sed & vicinarum & sæpe diffitarum ratio partium habetur. An non in paronychia humor aut refluus, aut æquo copiosius stagnans volam manus, carpum, brachium ipsum aperiendum sæpe monet, & ferri crudelitatem cogit perfentiscere? Quis nescit in thoracis paracenthesi locum nunc hunc, nunc illum secare oportere? Quid quod vel in ipsa, quæ quotidie celebratur, phlebotomia non levis esse momenti intelligitur, quis detrahendi sanguinis locus potissimum eligatur. Sic mulieris gravidæ saphenam, quemadmodum raro aperiiri convenit, ita quandoque expedit. Penes igitur medicum esto occasionem arripere & aperiendi locum indigitare. Quod si morbos capitis rite perpenderit, dices hoc in cranii loco, quam in illo potius adhibendam esse terebram. Est illud ab antiquis observatum, a recentioribus medicis observatione diu multumque iterata perspectum, quod in ipso crure, si qua sectio fieri debere indicetur, non solum interdum ex affectis a morbo primum musculis, verum etiam e sedibus remotioribus mali fomitem esse subtrahendum. Dicit fortasse quispiam, an non parti primum morbo conflictatæ chirurgi manus debet etiam primum admoveri? Respondemus. Admoveatur primum, si visum medico fuerit: verum cum humani corporis textura deprehenditur esse ea, quæ, ut per se varia est, sic diversimode tractari exigit; non mirum igitur si pro re nata medicus imperaverit, quod & in artis medicæ gloriam & in famam artificum, & in generis humani salutem possit redundare; ex iis, quæ superius enumeravimus chirurgiæ exemplis, liquido constat chirurgiam debere nunc hoc, nunc illo factitari modo; quod sicubi locum habet, præsertim in calculo e vesica extrahendo.

I I.

Calculus hominum carnifex, renibus plerumque generatus, vel a solidorum vel a fluidorum vel ab utroque vitio, per tubulos, quos anatomis nuncupare placuit ureteres, in vesicam delabitur. Debetur præ cæteris Fernelio nostro calculi in renibus generandi mechanismus atque ratio, si

K k 3 causa



causa spectetur interna : externa tum necdum ipsi fati innotuit ; nec hodie non innotescat , sic ut in sui saltem suspicionem inducat , sive proficiatur a globulo plumbeo , sive a stupa , chirurgi incuria in cathetere relicta , sive a sagitta vel ab alia quavis causa , quam hactenus nec bellum , nec pax hominum medicorum oculis dedit esse perspiciendam. Afferimus vesicæ incidendæ locum , tum a sexu desumendum , tum a prægressis præsentibusque morbis eligendum , tum a pinguedine macie colligendum , tum a calculi vesicam opprimentis mole atque figura designandum. Audire mihi videor , qui sic arguant. Idem morbus eadem est tractandus methodo. Non diffitemur , modo methodus pro secandi loco non præpostere sumatur. Cum autem hic de sectione ad extrahendum e vesica calculum loquimur , nullus sanæ mentis a nobis intelligi velit sectionem eam , cujus ope atque beneficio perperam credamus , extracto e vesica calculo , præsentem ægro medelam afferri ; multa siquidem prohibent , ne sectio ad calculum omnino instituatur. Quis etenim œconomix animalis iudex haud imperitus , qui homini , quem antiqui filicernium nuncuparunt , annis obfite eam adhibendam esse imperaverit chirurgiam , cujus opem non aliter sentiat , quam deperditi sanguinis inopia , & vitæ proinde dispendio ? Quis in febribus malignis , pestilentialibus ; quis in variolis confluentibus febre stipatis , quis in lue venera in eum grassata modum , unde vitæ præfens impendet periculum , eam monuerit chirurgiam , quæ , morbi ferocioris augendo ferociam , nihil præter mortem creet ? Idem esto de plurimis aliis casibus iudicium , in quibus a vesica ferrum arceri pro re nata omnino necessum est. Verum cum id unum hic quærat , an adjunctarum rerum varietas variam postulet vesicæ sectionem ? Patet secari quidem oportere , sed locum secandi præsertim eligi debere.

III.

Vesica in hypogastrio sita , fundo sursum plerumque expanso , corpore extensili & collo coagmentatur ; sic tamen ut figuram , diametrumque mutando in urethræ parietes inferius abeat , atque ad penis extremum usque protendatur. Vesica e fibrarum muscularium parum ordinata serie , exque tendinosarum stricto fati firmitate compingitur ordine. Haud procul a vesicæ collo vesicam ingrediuntur ureteres duo renibus oriundi. Urinam hi , & cum urina calculi rudimentum in vesicam devehunt. Rudimentum vero illud quid esse quispiam suspicetur præter calculum ipsum , cuius nondum fati aucta mole vesicæ collum nec comprimitur fati , ut ponderis incumbentis sentiri possit dolor , nec interim excernendæ præpediatur effluxus urinæ. Nam cum & calculi pondus jam grandioris facti vesicæ collo innixi non levem corporis partibus inferioribus inferat molestiam , quanto majorem non inferioribus modo , sed superioribus corporis regionibus retentæ præter naturam urinæ noxam creabit exuberantia.

tia. 1°. Motus urinæ a renibus ad vesicam affluxuræ retardatur, unde gravissima consequuntur incommoda, quod præsentis instituti non est, ut fufius strictiusque excutiamus. 2°. Calculo tum pondere, tum figura naturæ conamen ad urinæ excretionem prohibente, quid non impendet mali? Hinc chirurgiæ necessitas, ea tamen, quæ Medici iudicio debeat obtemperare. Incidendæ vesicæ locum quæris? De hoc loco non tam disputa verunt fufe, quam garriverunt inepte chirurgi quidam, qui chartæ parcere noluerunt. Judicarunt hi vesicam in fundo; existimarunt illi in collo; propugnarunt ceteri in perinæo ad scroti latus sectionem esse perficiendam. Ex hoc fonte quot libri, dicam, an satyræ emerferunt? Est enim, qui sectionem supra pubem suadeat, suadente primum nec tamen persuadente Parisiensi Medico: est, qui vesicæ collum aperiri sic monet, ut si non brevior at saltem tutior sit curatio. Ceteri, hac præsertim in regione sic argumentantur. Ad scroti latus, in perinæo facta sectio multos a morbo, si quis est, periculossimo liberavit. Quid inde? tacent enim quinam hoc Chirurgiæ specie perierint. Affirmant alii factam supra pubem sectionem pro salutis anchora haberi debere. Quid inde, nisi ex hac demonstrent Chirurgia vel nullos vel paucissimos homines interiisse. Docet post Galliam Angliam, vesicæ collum esse præ ceteris partibus incidendum. Quid inde, si non satis superque pateat hoc chirurgiæ genus aliquando esse noxium, etiam si generi humano sæpissime saluberrimum esse comperiatur.

I V.

Supra pubem vesicæ fundus hoc secatur modo. Aperta primum cutis in linea, quam albam vocant, inter musculos pyramidales, si qui sunt, ad ossium pubis commissuram fit incisio; dein vesicæ fundus scinditur, ex aperto denique loco calculus sive manu educitur, sive ferro aliove quovis instrumento extrahitur. Hoc cum recte fieri contingit, mirum quantum inde redundet utilitatis. Sed si fuerit omaso plus æquo distentum abdomen, quæ spes operis feliciter exequendi? Si vesicæ fundus supra ossa pubis non promineat, si formetur in angulum, quasi trianguli, nec circuli segmentum repræsentet, an non irritum, & periculoso conatu Chirurgi manus admoveretur? Si denique interjectæ duas inter peritonæi laminas glandulæ, eam duritiem molemque nactæ, ut sæpe fit, quam morbum per se curatu difficillimum nemo non iudicaverit, a suscipiendo opere prohibuerint, an hanc chirurgiæ speciem usurpaveris? Accedit & illud, quod si injecto quovis liquore vesicæ parietes præter modum distendantur, periculum est, ne aut disrumpantur, aut tonum sic amittant, ut ad urinæ excretionem parum idonei sint futuri. Cautus igitur esto in eligendo & injiciendo liquore; virium habeatur ratio; vesicæ firmitudo debilitatæ probe explorentur, vesica denique ipsa non subito, sed pedetentim extensioni suæ paulatimque assuescat. Vides quot scyllæ, quot charybdes in hoc opere sint vitandæ. Nec sua non etiam habet incommoda encheiresis illa, qua vesicæ collum inciditur. Operationem vocant lateralem. Nam ut peragatur, muscoli secantur, qui si crassiores

crassiores sunt, & succo, quam par est, turgidiores, quid a sectione facta plerumque expectandum? inflammatio, febris, copiosissima suppuratio; unde morbus diuturnior, & curatio proinde difficilior, quod in ejusmodi casibus aëris mutationes, error in diæta, ægrorum hominum diu lecti non patiens inquietudo, Chirurgi spem eludunt. Omitto Chirurgi manum in alium, quam in eum, quo tetendit scopum, funesto eventu sæpius aut impelli, aut deflecti, quod etiam in encheiresi supra pubem accidisse observatum est. Ad scroti lateris in perinæo sectio suos patitur manes, suis quandoque stipatur vitii, unde mors consequitur. Quis enim nescit urethræ bulbum in hac chirurgia incidi. Quis ignorat musculos tum erectores, tum acceleratores ab impactu semel ferro irritari. Hinc pronum est intelligi, etiam si vulneris orificium, extrahendo calculo destinatum, satis amplum patensque a Chirurgo fiat, tamen musculorum irritatorum constrictione minui, atque coarctari. Quod si justo grandior, aut asper angulosusve fuerit calculus, quis inciso perinæo ægri salutem non maxime periclitari affirmabit? hinc exiturus calculus ex ostio, nunc minori ac proinde contundendo, nunc pari sed dilacerando, numquid non in vulneris labia sic impetit, ut exilissimorum vasorum extrema hiare cogat, & contentum in eorum cavo succum quaquaverfum profundere. Quid inde nascatur mali, lippis, ut aiunt, & tonsoribus haud est incognitum. Est & illud animadvertendum, quod si vulneris ostium nec extrahendo calculo, mole grandiori, facilem sternat viam; & forcipis ab imperita manu sæpius intromissi huc illuc temeraria jactatio eandem fere labem vulneri infligat, quam prodeuntis calculi auctior intulisset magnitudo, inflammationem accersi, gangrænam invitari, non-nisi morte terminandam. Ponamus adhuc quempiam non-solum calculo, sed etiam scorbuto laborare; fungamus animo aliquem bubone venereo, & saxea scroti duritie confictatum; intueamur feminam tum infantis quærentis exitum, tum calculi sui postulantis extractionem, duplici pondere gravatam. Quis æquus rei Medicæ æstimator, his in casibus, urethræ bulbum, per sectionem a scroti latere in perinæo, proscindi non prohibebit?

V.

Erunt, qui clamitent, nullam ergo vis extrahendi calculi encheiresin institui, cum undique majus imminet periculi, quam spes alicubi sanationis affulget? abfit: Nulla non encheiresis institui, nulla non Chirurgia debet in usum vocari, quam & ratio suadet, & experientia non temere repetita usurpandam esse persuadet. Quid igitur est, quamobrem omnes chirurgiæ species nullo discrimine habueris, vel hanc illi non anteposueris? Respondemus: facit vesica, faciunt ambientes vesicam partes, faciunt persistentes adhuc in vicinis locis morbi reliquiæ, facit denique calculi moles aut figura, ut nunc supra pubem in vesicæ fundo, nunc in collo, nunc in perinæo sectionem ad calculum fieri necessum esse quivis nec anatomix rudis, nec morborum imperitus certo pronuntiaverit. Vesicas enim alias esse præ aliis fortes, esse præ aliis flexiles,

xiles, & expandi dociles, certissimum esse deprehenditur. Hujusmodi vesicas quoties inveneris, supra pubem secari jube; nisi aut omentum justo pinguius, aut morbus alius vel ipso truculentior calculo, a suscipiendo deterreat opere. Silemus enim ea, quæ perspecta fatis a Medico atque explorata, chirurgi ferrum a vesica monent amoveri, ut properantis lethi gradus possit aliquatenus retardari. Calculus igitur mole maximus hac detrahitur via; calculus angulis, iisque acutis asper ex hoc educitor exitu. Quid de gravidarum mulierum, partui jam proximarum, forte censebis? an operatio, quam lateralem appellant, an autem ea, quæ magni apparatus nomine perficitur adhiberi debeat, a quovis quære corporis humani mechanices haud ignaro: negabit statim in inferioribus vesicæ partibus sectionem esse moliendam. Jam ad vesicæ collum progrediamur. Est ubi sectio supra pubem non debet institui, quod vesicæ fundus nec natura, nec etiam arte supra ossa pubis extuberet, cum interim nec in vicinis, nec in ambientibus locis quidpiam impediat, quominus hæc Chirurgia feliciter cedat. Est ubi vesicæ fundus in conum definit formamve triangularem. In primo casu nihil aggrediendum, in altero nihil expectandum boni à ferri acie, nonnisi vicinas partes læsura. Vesicæ collum igitur secetur, hac tamen lege, ut incidendi, antequam ad vesicæ collum devenlatur, muscoli non sint æquo crassiores; utque in prostaticis, atque adeo in vesicæ collo nullum superfit vitium, a quibusvis prægressis morbis oriundum. Hoc operandi genus inchoavit Gallia, Batavia perfecit, Anglia demum non sine felici successu absolvit. Vidit Academia Parisiensis quamplurimos hujus beneficio Chirurgiæ, pristinæ valetudini restitutos. Stupuit quorundam hominum invidiam, qui probro vertissent Chirurgo, si quis est, peritissimo, quod a latere cum secuisset, semel iterumque mors esset consecuta. Calumniam refellerunt cadavera. Quod spectat bulbi sectionem ad calculum, Galliæ debetur, unde in ultimas terrarum oras salubriter est propagata. Est hæc Chirurgiæ species ea, quæ numerum hominum eripuit ex orci faucibus vix numerabilem, sua namque habet commoda, cum ab alienis sit incommodis immunis. Non hic crassiores secantur muscoli: non metus est, ne cavum abdominis cæca Chirurgi manu lancinetur in ægri perniciem, & artificis opprobrium. Erit forte, qui objiciat, mirum accidere, quod, salvis ægri rebus, ex bulbi foramine grandior extrahatur calculus, minore vero extracto calculo, misere pereat. Hoc quoties accidit, sectoris potius incitæ, quam Arti impudandum.

Ergo ad extrahendum e vesica calculum diversa pro re nata debet usurpari Chirurgia.



Faint, mirrored text from the reverse side of the page, appearing as bleed-through. The text is largely illegible due to its orientation and fading.



DISSER-



CVI.
DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA,
DE
VARIIS CALCULOS SECANDI
METHODIS.

Quam publice tuebatur

AUGUSTUS FRIDER. PALLAS,
BEROLINENSIS.

Lugd. Batavor. die 17. Junii anno 1754.

L 1 2

